7

DISSERTATIO MEDICA

DE

ELEPHANTIASI GRAECORUM

VEL

LEPRA ARABUM.



AUCTORE GEORGIO CRANSTOUN BROWN.

PRÖOEMIUM.

In hoc tentamine, temerè fortasse aggressus sum morbum paucis expedire, qui cutem formamque corporis pessimè foedat, aegrotantes ab hominum consortio gravissimè abigit, vires vitae variis in modis suffodit, mortemque dolorum vix tolerabilium medicabiliumve perfugium certissimum exhibet. Haud expectari

[1818]

potest, me valere digitum mali hujus ad fontes intendere, vel ejus praegressus exitusque depingere, vel curationis rationem certam instituere, ubi tot tantique succubuere scriptores, tum ingenio tum peritiâ praestantes. Indulgentiâ tamen peritorum, mihi liceat facere conatum, quo, quantum in me est, affectus hos morbosos, pavore hominum pariterque superstitione magnopere gravatos, ab omnibus comitantibus falsis sinistrisque segregare possim, suam indolem ostendere, et ante oculos medici ponere, ut eorum symptomata cursumque inspiciat aestimetque. Tempori subvenire opinionum commenta idolaque scientiae est honori. Medicinam facientes iis doloribus, quibus succurrere nequeant, studia dare, lenire, permulcere et sustentare, decet.

DEFINITIO MORBI.

Huic morbo locum in ordinibus suis dederunt Sauvagesius, Vogelius, Sagarus et Cullenus.

Sauvagesius in classe Cachexiarum, ordine-
ue Impetiginum eum locavit, atque sic defini-
it : " Facies deformis tuberibus callosis, ozae-
' na, raucedo, cutis elephantina crassa unctuo-
' sa, in extremis artubus anaesthesia."

Vogelius quoque inter Cachexias posuit,
tque his verbis definivit : " Mutatio cutis in
' tumores lividos, duros, saniem foetidam crus-
' tosam emanantes."

A Sagaro in classe Cachexiarum, ordineque
mpetiginum quoque ponitur, et sic exponit:
' Facies deformis, tubera callosa, ozaena, rau-
cedo, cutis elephantina, crassa et unctuosa,
rictus satyrorum, anaesthesia in artubus, con-
stituunt characterem hujus generis."

In classe Cachexiarum, ordineque Impetigi-
um Cullenus celeberrimus noster etiam col-
cavit, et his verbis ita definivit : " Morbus
contagiosus ; cutis crassa, rugosa, aspera,
unctuosa, pilis destituta ; in extremis artubus
anaesthesia ; facies tuberibus deformis ; vox
rauca et nasalis."

Hunc morbum ita definiunt Arabes : " Est
enim morbus hic corrumpens complexionem

"et formam et figuram membrorum: prove-
"niens ex multâ aspersione cholerae nigrae ad
"totum corpus *."

DE NOMINE MORBI.

Huic malo diversi auctores varia nomina dederunt, atque sub nomine Leprae, et Elephantiasis, morbos absimiles quoque descripserunt. Lorry de morbis leprosis loquens, notat: "Nominumque magna confusio affecit, ut nullus "fere sit ex omnibus quos descripsimus morbis "cutaneis ad aliquam saevitiem atque pertina"ciam evectus, qui non leprae nomine fuerit "designatus."

Verba ἐλεφας et ἐλεφαντιασις huic morbo tuberculari ab Aretaeo Graecisque scriptoribus succedentibus adhibita sunt, partim fortasse propter quandam similitudinem suppositam quam cutis morbosa habeat cum elephantis co-

---

* Avicenna, Fen. iii. Tract. 3. cap. 1.

rio animalis, sed praecipuè propter morbi duram severitatem ac diuturnitatem.

Leontiasis vocatur, ob extremarum frontis rugarum cum leone similitudinem *. Satyriasis etiam, ob malarum ruborem, atque inexplebilem impudentemque coëundi libidinem: et Herculeus, quoniam eo nullus major est, neque valentior †.

Graeci quidam scriptores hunc cum alio morbo, leprâ, nimirum, confuderunt, et saepe ambos sub eodem nomine descripserunt; sed de hoc postea. Romani quoque eadem vocabula retinuerunt, omnesque gentes, quae linguâ Latinâ utebantur, morbum sub iisdem nominibus noverunt.

Arabes malum, de quo nunc agitur, Lepram vocant. Hi etiam morbum, quem elephantiasim nominant, habent, sed à nostro multùm differt, quod in diagnosi statuendâ monstrare in animo est. Ab his quoque sub nomine *Juzam* aut *Judam* discrimen habet, et dictis similibus,

---

* Lorry, Tract. de Morb. Cutan. Paris, 1777.

† Aretaeus, De Sign. et Caus. Diuturn. Morb. Lib. ii, cap. 13.

ut *Dsjuddam* et *Madsjuddam*, in Arabiâ et Persiâ, secundum Niebuhr, adhuc cognitus est. Surinamenses nomine *Boasi* utuntur; Belgae verò nomine *Melaatsheid* *.

Ab hodiernis idem nomen morbo *Anglice* dicto *Barbadoes Leg* datum fuit, sed postea de hoc quoque in diagnosi fusiùs tractandum erit.

In hâc disputatione, est mihi in animo morbum, quem Graeci Elephantiasim, Arabes Lepram, vocant, depingere. Verbum Elephantiasis ei Leprae antepono, quia à plerisque usurpatum fuit.

DE HISTORIA MORBI.

Antiquissimi annales, historici et medici, nos certiores faciunt, gentes orientales variis morborum cutaneorum generibus, qui per totum corpus sese diffundunt, artemque medendi fallunt, et formam squamosam, tubercularem aut ulcerosam citissimè induunt, semper vexa-

---

* Schillingius de Leprâ.

tas fuisse. Omnes nomen generale leprae acceperunt, specie autem valde diversi. Ex aestu regionis tropicae, ut antiquissimis medicis placebat, oriebantur, ubi "sub curru nimium "propinqui solis" incolae vivunt, vel nebulis humidis, stagnorum exhalationibus putridis, paupertatisque malis urgentur. Lepra igitur variis sub formis Ægyptum, Palestinum, Syriam Arabiamque omni tempore vexavit, regiones autem sub septentrionibus jacentes rarissimè. Sacrae Scripturae tamen nos certiores faciunt, hunc morbum pestiferum Judaeos magnâ cum strage vastâsse, eis divinitus immissum, ut peccatorum supplicium, poenitentiaeque incitamentum. Ab his Theologis totus dissentio, qui morbum in Scripturis memoratum esse quendam peculiarem affirmârunt, leprae enim signa clarissima praebet, puniendique causa a Deo facillimè adhiberi potest.

Ex Asiâ hic morbus in Europam migravit. A coloniis orientalibus in patriam cum merce Graeci invexerunt. Hi autem arbitrâsse videntur, lepram esse prolem coeli Asiatici, et, si nobis, historiâ certae fidei carentibus, a signis

obscurioribus judicare licuit, inscriptio dissertationis antiquae, περι της φοινικινης νοσȣ, a medico Graeco scriptae, indicaret, ex Phoeniciâ primordium exortum esse. Haec gens antiqua, sicut Britannia hodie, fuit orbis terrarum emporium, et cum aliis gentibus commercium habens, hunc morbum dirissimum per mundum effudit.

Inter Romanos, militiae domique celeberrimos, primis reipublicae temporibus, lepra non valuisse videtur; sed, quum pristina fides virtusque divitiis luxuriisque cesserint, haec pestis, eheu! infausta in Italiam tandem invecta fuit. Lucretius, tum poëta tum philosophus, hunc morbum Elephantiasim, nomen ab Graecis derivatum, appellat, eique originem Africanam expressè attribuit. De hoc quoque Celsus iisdem fere verbis utitur; sed Galeno florente, lepra imprimis invaluit, quanquam cum prioribus hic medicus consentit, eam in Italiâ rarissimè valuisse, et inter Germanos Scythicosque, qui lacte vescebantur, penitus ignotam esse.

Omnes hi populi, ut etiam Iberi, Galli, Britannique, huic morbo nunquam opportuni fuerunt, donec sacra bella tandem exarserunt. Eo

tempore clarissimo, pleraque mala, et praesertim morbi cutanei, magnis cum viribus increverunt. Tota Europa tunc studio Hierosolyma Saracenis liberandi ardebat; sed magna itinera facientibus multa ardua perferenda sunt. Cibi, vestimentorum, materiaeque medicae inopia, incommoda quae bellum secum semper adfert, ingentes labores, quos castra muniendo, urbes obsidendo, terrasque hostibus plenas invadendo, toleraverunt, captivitas dura quoque, vim corporis animique sensum infregerunt, morbisque, quibus afflicti sunt, maximam vim tribuerunt. Post clades memorabiles, quas in Sanctâ Terrâ acceperunt, paucissimi in Europam reduces, morbos Orientales secum intulerunt, quos constat furore incredibili postea inter incolas saeviisse.

Sed quae secuta morbo ipso duriora extiterunt. Eos enim Leprâ laborantes, ingentem vim hominum, visu turpes factos, e publico removere necesse erat. Potestates, et civiles et ecclesiasticae, ad hoc malum gravissimum mitigandum mutuò contenderunt. Immo, novus ordo equestris, aedificia pro aegrotis extruendi, eis, quae fuerunt necessaria, suppeditandi, et, si

curari nequeant, eos à conspectu hominum removendi gratiâ, constitutus est. Numerus eorum Leprâ laborantium fuit immensus, quod ex hâc re judicare possumus. Numerum nosocomiorum et praediorum, quae Anglice "*Manors*" appellantur, et quae ordinis equestris fuerunt, fuisse parem, aliqui historici opinantur, et quoniam horum erant triginta millia, illorum numerum fuisse eundem necesse est. Celeberrimus RAYMUNDUS, si sit fide dignus, nos certiores facit, mille et quadringenta horum aedificiorum in Galliâ solâ extitisse, quae, tempore quo floruit, nominibus ruinarumque vestigiis facilè pernosci potuerunt.

Non est tamen arbitrandum, omnes in his nosocomiis receptos Leprâ laborâsse, ut Lepra Graecis Arabibusque accepta est. Elephantiasis certe, dum adhuc Lepra saeviit, fuisse infrequens videtur. Major pars eorum, qui LAZARI appellati sunt, cum affectionibus Scorbuticis, Herpetis quâdam specie, Vitiliginisque duobus generibus, afflicta fuit. Hujusmodi morbos medici haud sanè rimati sunt. Opinione GALENI contrà freti, Lepram ut totius corpo-

ris cancrum existimaverunt, non arte Hippocraticâ, sed jejunio, precibus aliisque pietatis officiis sanandam. Infelices aegroti igitur solitudinis sempiternae damnati sunt. Quis sortem eorum non lugeat? A societate hominum exules; voluptate industriâque exclusi; naturae sublimi spectaculo prohibiti; sine cibo multo et amictu, etiamque sine spe, inter plurimos alios aeque miseros vitam transigebant: aedificia eis repleta non pro nosocomiis, sed carceribus,—non ad morbum sanandum doloresque leniendos, sed solùm ad miseros à publico removendos, constructa fuerunt.

Post Europam depopulandam circiter ducentos trecentosve annos, Lepra mitior facta est, aedificiaque, quibus aegroti tenebantur, ad alium usum conversa fuerunt; materiâ, quae vires morbo suppeditavit, vel causis praedisponentibus, quae ei faverunt, exhaustis.

Priusquam hujus morbi historiam ad finem perduco, notare non erit supervacaneum, alteram tabem Europam infecisse, tempore quo Lepra evanescere coepit. Haec fuit *Lues Venerea*, quam, sive originem ex Americâ traxis-

se, sive morum dissolutorum prolem fuisse, inter medicos disceptatur. Aliqui scriptores huic morbo et Elephantiasi communem esse affinitatem sanè putaverunt; sed ad hanc litem componendam, morborum cutaneorum, et Africae et Indiae, plenior historia, quae scientiae amanti hodie patuit, plurimùm valeret.

DE SIGNIS.

Incipientis morbi signa sunt segnities, spirandi difficultas, motus difficilis, alvus assiduè astricta, urinae, veluti sunt jumentorum lotia, excretio *; brevi verò tempore, exhalatio per cutem, et spiritus graviter olent, foetidaque fiunt; aeger ructibus continuis, qui ei aliquid molestiae addunt, magnâque totius superficiei corporis siccitate, vexatur. Haec aliquando per longum tempus in corpore sine ullis aliis permanent: sed tandem morbus progreditur, et

* Forestus, Obs. Chirurg. Lib. 4. Obs. 7. *Scholia.*

aeger torpidus languidusque fit; exercitatione quidem minimâ facilè fatigatur; sitis plurimùm urget; quibusdam in casibus appetitus neque parvus quidem, neque magnus, in aliis autem vitiatur, et aeger, quae sanus fastidit, ea edere cupit.

In hoc morbi stadio multi auctores * de Veneris appetitu inexplebili, quo cum aeger corripitur, dicunt. "With respect to the *libido in-* "*explebilis*," ait Doctor BATEMAN, "which is "said to be one of the characteristics of Ele- "phantiasis, the evidence is not so satisfactory. "Its existence, however, is affirmed by most of "the modern writers, with the exception of "Doctor ADAMS. M. M. VIDAL and JOANNIS "mention it among the symptoms of the dis- "ease at Martigues. Doctor BANCROFT senior "states its occurrence in the Elephantiasis of "South America in the following words: 'Le- "'pers are notorious for their salacity and lon-

---

* Ex antiquis, FORESTUS, GREGORIUS HORSTIUS, &c. Ex recentioribus, M. M. VIDAL, JOANNIS, BANCROFT, NIEBUHR, &c.

"" gevity *'; and Professor NIEBUHR asserts, " that it appears in the *Dsjuddam* of Bagdat †." VIDAL historiam de ARNAUD nautae speciatim recitans, qui cum Elephantiasi tuberculari pro sex mensibus afflictus erat, cum tandem febre putridâ moriebatur, dicit: " Il n'avoit cessé, presque " jusqu'à sa mort, de ressentir les ardeurs d'un " assez violent Satyriasis ‡." Doctor ADAMS contrà, qui hunc morbum saepe viderat, atque nobis historiam ejus accuratissimam et luculentissimam dedit, ait: " When the disease at- " tacks a male subject before the age of puber- " ty, he never acquires that state; and such as " are affected later in life, gradually lose the " power of procreation, as far as can be judged " by the changes which take place in their or- " gans ||." Cum Doctore ADAMS aegrum potestatem procreationis perdere consentio; et

---

* Natural History of Guiana, p. 385.

† BATEMAN on Cutaneous Diseases, p. 301–2.

‡ Recherches et Obs. sur la Lepre de Martigues, dans les Mém. de la Soc. Roy. de Med. tom. i, p. 169.

|| ADAMS on Morbid Poisons, p. 268.

cum Doctore Bateman, nullum testimonium libidinis inexplebilis fide dignum nos habere, puto.

Nunc raucedo vocis, absque causâ consuetâ, fit; somnia turbulenta incubusque aegrum vexant.

Morbo autem ingravescente et nunc confirmato, alia pejoraque signa apparent: tubercula variae magnitudinis formaeque in partibus corporis diversis, in facie, sed praecipuè fronte, superciliis, auribus externis alisque nasi, alia juxta alia exsurgunt; haec tubercula non continua, sed crassa sunt, et interstitium eorum discissum est, ut elephantis corium. Brachia et crura saepe cum tuberculis, interdum non, afficiuntur. Haec tubercula primò laevia sunt, eaque pruritus comitatur; sed, morbo progrediente, aspera fiunt. Color faciei rubicundus, ad nigritiem, aut potius ad calorem sanguinis, plurimùm inclinans. Tubercula pellucida et splendentia videntur, ac si cum oleo inuncta essent; et multi vasorum minutorum rami in iis conspiciuntur *. Quum febris, quâ cum morbus incipiebat,

* Vieira, Dissert. de Elephantiasi.

decessit, pulsusque tardus et debilis est, tubercula sensum paulatim amittunt; colorque eorum in lividum vel cupreum mutatur. Pili nunc à femoribus, tibiis ac pube cadunt; in mento et capite rari sunt.

In hoc statu malum pro tempore remanet, sed demum tubercula numero et magnitudine crescunt; nunc omnes ferè corporis partes mutationes subeunt, facies praecipuè, quae magis distorta evadit, omnesque ejus partes foedè intumescunt; frons laevitatem ejus perdit, crassescit cutis atque corrugatur; supercilia prominentia, praedura, callosa, atque etiam glabra fiunt, et prae tuberositate deorsùm pendent; color lividus aut ater est; palpebrae tumidae et inversae, parvis tuberculis confertae sunt, adeo ut, cum oculi pateant, figura eorum penè orbicularis sit; crebrò nihil trans iridem videri potest; pars alba oculi nigra fit, lividescens aut viridis, visu terribilis est *; malae crassescunt intumescuntque; mentum quoque morbo mutatur. Tum denique tubercula, quasi scirrhosa

---

* De Villars, Tract. Chirurg. Lib. 2. p. 71.

fiunt, dirumpunt, et substantiâ quasi furfuraceâ cooperta manent; aut in ulcera convertuntur, ichoremque foetidam emittunt, quod rarò in facie contingit *.

Alae nasi tumidae et scabrae sunt; nares patulae et interdum ulceratae, ut etiam septum nasi est, quod, simul cum naso, nunc deprimitur. Spiritus difficilè per nares emittitur. Labra parvis tuberculis crassa redduntur, et necessariè decurtantur, adeo ut dentes sese ostendant, qui non albi sunt, sed nigricantes. Aures, admixtâ nigritiâ, rubent; earum pinnae in ambitu rotundiores et contractiores apparent; pulpae earum decurtantur; auricula verò tumidior; ulcera sunt in basi earum; sanies defluit, pruriunt. Parotides circumjacentes insignem in tumorem elatae conspiciuntur †. Rubent malae cum tumore haud ita magno.

Quibusdam in casibus, propriâ attentione ad diaetam aliasque res adhibitâ, aegrotatio in hoc statu per multos annos sine ullo incremento duravit, sed incuriâ, morbus iterum progredi inci-

* VIEIRA, loc. cit.

† DOLAEUS, Encyclop. Chir. Rat. L. 5, c. 9.

pit. In aliis exemplis, per breve tempus tantùm in hâc conditione remansit, et tunc symptomata pejora pejoraque apparuerunt: os partesque vicinas nunc tentat, et signa, quae in hâc corporis regione inveniuntur, depingere festino.

Oris interni forma non eadem manet; saepe valde inaequalis est; palatum interdum variis tuberculis confertum fit; uvula non longiùs eminet, sed evanescit; guttur tuberibus inaequalibus quoque deformatur: his de causis vox rauca nasalisque redditur, et saepe ei puerorum similis est; deglutitio interdum impeditur, interdum non. Multi auctores * venarum sub linguâ varices dicunt. DE VILLARS in tractatu Chirurgiae de hâc re loquens, ait: "Venae "raninae et temporales nigrae et in varices a-"beunt;" et addit, "infra linguam et palatum "et oesophagum crescunt glandulae lividae vi-"ridesque." Grana sub linguâ, sub palpebris, et pone aures, secundum GUIDONEM de CAULIACO, inveniuntur. Gingivae sunt ulcusculis,

* ARETAEUS, AËTIUS, FORESTUS, &c.

dentesque carie, infestati. Tubercula supra memorata primò parva sunt, et parùm super cutem tantùm elevantur; morbo autem ingravescente, et in diametro altitudineque majora majoraque fiunt. Pili et capilli de toto corpore nunc cadunt, et, si iterum crescunt, rariores et pauciores quàm anteà sunt.

Haec sunt signa quae in capite praecipuè videntur; sed morbus alias corporis partes saepe infestat, ut extremitates, et superiores et inferiores; inferiores autem frequentissimè, truncumque quoque, sed multò rariùs.

Collum tuberculis interdum tegitur, quod à paucis primarium indicium morbi esse putatur; falluntur autem, nam multa meliora signa characteristica sunt, labiorum crassities, nimirum, et foeditas; nasi dilatatio; aurium rotunditas, lobulorumque crassities; frontis et superciliorum extuberatio; vocis insuper raucitas, et caetera *.

Pectus, abdomen, et dorsum interdum hoc morbo afficiuntur, sed multò minore vi quàm

* Gregorius Horstius, Obs. Med. Lib. 7, Obs. 18, Epist. J. H. Höpfnero.

aliae partes. In illis tubercula parva ac in numero pauca sunt, raròque multam molestiam excitant.

Aliter tamen est in extremitatibus, praesertim inferioribus. Brachia cum tuberibus, sed non tam, ut in facie, prominentibus, infestantur: articuli horum maximè excruciantur. Haec tubera citò furfurea fiunt, aut in ulcera non profunda, sed foetida insanabiliaque convertuntur *. In cruribus similia, sed pejora tubera, apparent; pedes manusque tument, rugasque insignes ostendunt, et, ubi inveteratus est morbus, digiti in manibus pedibusque sub tumoribus conduntur. Genua pruriunt ardentque. Digiti manuum interdum tantùm contrahuntur, ut omnem motûs potestatem, ac sentiendi facultatem amittant. Palmae manuum plantaeque pedum interdum cum tuberibus quoque deformantur. Manuum pedumque digiti, quibusdam in exemplis, siccitate dehiscunt, unguesque finduntur ac dilacerantur, interdum etiam scabri sunt; in aliis, manus et pedes foedis ul-

---

* Vieira, loc. cit.

ceribus tantùm afficiuntur, ut digiti alii post alios cadant. Doctor ADAMS de hâc re loquens, eleganter dicit: "At times as a joint is thrown "off, a firm cicatrix is formed, at others and "more commonly one phalanx is lost after an-"other. These symptoms, however, cannot be "considered peculiar to this disease, for the "fingers of old people often contract from be-"ing kept too long and too often in the same "posture; and the lower extremities are very "subject to foul ulcerations, which often cause "the toes to drop off one after another *."

In manibus caro, quae est inter pollicem indicemque, consumitur. Extremitates, tam superiores quàm inferiores, frigidae sunt, et quasi emortuae; caro, et praesertim ulcera, sine sensu sunt, et sine ullo dolore. In tibiis ac pedibus sensus tam hebes fit, ut punctura acuum dolorem non moveat, neque aqua fervida exurat.

In hoc morbi statu aegri astuti, dolosi, fu-

* Loc. cit.

riosi, et ad iram valde proclives sunt. Cutis unctuosa aspersam aquam non recipit; crassa est quoque, instar anseris implumis. Exhalatio per cutem omnino impeditur, propter duritiem crassitiemque integumentorum, quae per totum corpus inveniuntur. Hinc aegri in Cachexias, Hydropes, similesque incidunt.

In genitalibus quaedam mutationes, secundum Dotorem Adams, qui, solitâ perspicuitate atque elegantiâ, eas descripsit, notatu dignae sunt. Cum morbus homines ante pubertatem aggreditur, illi ad hanc nunquam adveniunt; ii verò post pubertatem inquinati, potestatem procreationis paulatim perdunt, ut à mutationibus, quae in organis eorum visae sunt, judicare possumus. Nullos pilos super barbam, supercilia, pubem neque axillas habent; aut si pili apparuerant, decidunt. Infantiae innocentiam, quod ad sexus attinet, retinent. Plerisque in exemplis, testes parvi sunt; in aliis, molles, consumpti, similesque filis fiunt. Scrotum totaque organa iis puerorum maximè simulant, nisi quod praeputium aliquanto elongatur. Quibusdam in

casibus, penis scrotumque aliquatenus cum tuberculis afficiuntur.

Quaedam mutationes in foeminis quoque apparent. Labia venerisque mons laevia videntur, fissurâ tantùm pro memoriâ loci, raris convolutis pilis injucundè decoratâ, manente *. Catamenia interdum ordinata sunt, interdum prorsus suspenduntur. Mammae plerumque minuuntur, aut omnino evanescunt; papillae earum planae ac non perforatae sunt, minimèque ad lactatum conveniunt.

Aliud symptoma, et in diagnosi haud parvi momenti, à Doctore Adams quoque memoratur; id autem suis in verbis dare licet: "In "the upper and anterior part of the thigh, near-"ly in contact with the lower part of the scro-"tum, there is, in almost every case, a firm (to "appearance) glandular swelling, moveable "and prominent, or concealed, according as "the patient is fat or lean, or in proportion to "the progress of the disease. It is remarkable "that none of the women are without it. In

* Vieira, loc. cit.

"most of the men these tumours are particular-"ly prominent, extending gradually upwards. "In some there are also inguinal buboes. In "every case the swellings are indolent, never "giving any pain, nor becoming discoloured, "nor shewing any disposition to suppurate *."

Privatio visûs, quanquam rara est, in hoc morbo interdum evenit; ab oculi conditione morbidâ, vel ejus totâ jacturâ, oritur. Duo exempla hujus à Doctore ADAMS quoque narrantur.

Morbus nunc ingravescit; omnes fere functiones, tam vitales quàm naturales, plus minusve depravantur. Observatum autem fuit, aegros intellectûs functiones usque ad vitaè finem integras retinere. Aegri interdum ad provectam aetatem vivunt, sed rarò: ex aliis morbis tamen saepe moriuntur. In morbi progressu, magna debilitas producitur; vires multùm imminutae sunt; humores acriores acrioresque fiunt; multam irritationem systemati dant, ex quâ febris hectica oritur; articuli, minores praecipuè, interdum autem majores quoque, alii post

* Loc. cit.

alios, nunc saepe decidunt; gangraena partes manentes saepe aggreditur; aegrique, tot malis obruti, e vitâ cedunt, inexcitabilem somnum in mortem dormientes.

Hunc morbum haereditarium esse omnes consentiunt auctores. Ut multos morbos aeque ac multos animi affectus à parentibus nostris per dispositionem haereditariam habeamus, nemini dubium esse potest. Haec dispositio ipsa unam generationem saepe praeterit, sed in secundâ fere semper apparet. Idem in Elephantiasi accidit: nam liberi à parentibus Elephantiacis nati, malum interdum effugiunt; dum, contrà, liberi illorum ab eo corripiuntur. Sed iterum, plerisque in exemplis, omnes liberi à parentibus Elephantiacis nati, quanquam procul ab eis remoti, cum morbo afficiuntur.

Sed quod ad contagiosam naturam morbi attinet, res aliter est; nam de hâc auctores non inter sese consentiunt. Quidam morbum contagiosum esse; alii, non, putant. ARETAEUS et Antiqui * generatim eum per contagionem

* Ut COELIUS AURELIANUS, PAULUS AEGINETA, PROSPER ALPINUS, ANDRAEAS PARAEUS, MERCURIALIS, LOMIUS, TURNER, HILLARY, RAYMUND, &c.

propagari dicunt; sed pauci recentiorum, inter quos Doctores HEBERDEN et ADAMS enumerentur, hanc opinionem falsam esse probaverunt. De hâc re, contagione, nimirum, vide quid AËTIUS dicit: "Atque ego sanè malum esse affirmo cum ipsis conversari; inquinatur enim aër, quem inspirando attrahimus, ex ulcerum foetore et ex vitiatâ spiritûs exhalatione *." Doctor THOMAS † morbum per contactum aut convictum propagari se vidisse affirmat. Sed satis de naturâ ejus contagiosâ; contrarium probare nunc conemur. Monsieur SONINI ‡ morbum nunquam in Ægypto contagiosum putari, Leprososque ibi a societate non separari, narrat. M. VIDAL § Doctorque JOANNIS || malum rarò inter maritum uxoremque ejus communicari dicunt. Africani, secundum Doctorem WINTERBOTTOM ¶, morbum esse contagio-

* Tetrabibl. 4, Serm. i, cap. 120.

† Practice of Physic, p. 548.

‡ Travels through Egypt.

§ Loc. cit.

|| Lond. Med. Obs. and Enquiries, vol. i, p. 204.

¶ Account of the native Africans in Sierra Leone. Doctor WINTERBOTTOM historiam hominis cum hoc morbo afflicti quoque dat, et praeterea dicit; "His wife, with

sum negant. Doctor HEBERDEN * multa exempla ejusdem rei in Madeira quotidie observabat, atque affirmat: "I never heard of any one "who contracted the distemper by contact of a "leper." Hanc sententiam Doctor ADAMS † sequutus est, ac Elephantiacos per multos annos domi mansisse, nullamque partem familiae eorum infecisse, observavit. Cum hâc opinione Doctoris ADAMS strenuè consentio; casusque morbi, qui in Nosocomio nostro nuper apparebat, eam probare videtur.

A quibusdam ‡ dictum fuit, viros magis quàm foeminas, salaces potius quàm castos, et adultos quàm adolescentes, hâc affectione implicari: sed hoc in multo dubio adhuc remanet.

"whom he still cohabits, is not affected, nor has she, he "says, any apprehension of catching the disorder."

* Med. Trans. of the Coll. of Physicians, p. 27.

† Loc. cit.

‡ AËTIUS, loc. cit., et LORRY, Tract. de Morb. Cut.

DE CAUSIS.

In hoc morbo causa proxima, quanquam à quibusdam ad caliditatem ac siccitatem hepatis, choleram nigram, melancholiam, similiaque attributa fuit, tamen in tenebris omnino latet.

Causae excitantes variae sunt, et in magno dubio quoque involvuntur; sed inter frequentiores recenseri possunt errores in diaetâ, nempe aquae putridae, simulque esus carnium crassarum, piscium salsorum, caseique veteris *; usus ciborum acidorum salsorumque, ut caro bovina, porcina, sale condita; sed praecipuè cum lac, caseus, mora, aliaque hujus generis conjunctim manducantur; ideoque haec quibusdam in regionibus religiosè vetantur. His vehementiora animi pathemata addantur, ut pavor, ira, terror metusque ingens; et corporis etiam exercitatio nimia; liquorumque spirituosorum abusus. Solitae evacuationes suppressae, mensium praeci-

* Lorry, oper. cit.

puè, etiam pro causis habentur. Regio quoque calidissima ad hunc morbum producendum non parùm confert: inde in Africâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Indiâque Orientali, saepiùs occurrit, quàm in regionibus temperatis, ubi rarissimè incidit. Sed omnium causarum Elephantiasim producentium, praedispositio haereditaria certissima est; de hâc nihil dubii habere possumus, de caeteris autem causis parùm novimus.

Hi habitu delicato praediti, ut foeminae et spadones, hujus morbi fere esse immunes dicuntur.

DE PROGNOSI.

Prognosis non dubia est. Hic morbus nullam omnino curationem accipit, quia non tantùm partes externas, sed internas etiam afficit. Quò diuturnior est morbus, eò sanitatem magis fractam relinquit. Dum partes externae mortuae in successu decidunt, macies totius corporis insignis, summa virium imminutio, et impri-

mis foetentes halitus ab internis per os exeunt; mors futura brevi imminet *.

DE DIAGNOSI.

Hic morbus cum Leprâ Graecorum, Leprâ Judaeorum, Lue Avenereâ, Elephantiasi Arabum, morboque *Anglice* dicto *Barbadoes Leg*, confundi potest.

A Leprâ Graecorum Elephantiasis in his differt; quia in illâ squamae quàm in hâc albidiores sunt; in illâ, sub initio morbi; dum in hâc, non, nisi in provecto statu, accidunt. In Leprâ Graecorum, quae communiter à cruribus incipit, nulla vultûs distortio est, neque tubercula tantum, ut in Elephantiasi, elevata sunt. In illâ, squamae sub morbi fine evanescunt, reditumque salutis indicant; sed in hâc, non, nisi cum ulcera formantur, e conspectu effugiunt. Tumor femoris, qui Elephantiasim fere semper

* Tract. de Morb. Cutan. Amst. 1760.

comitatur, sed qui in Leprâ nunquam videtur, has duas affectiones quoque distinguit. Denique, Lepra generatim magis cutis affectio est quàm Elephantiasis, quae plerumque profundiùs serpit.

Lepra Judaeorum cum descriptione Vitiliginis à Celso datâ in omni parte convenit; hinc ab Elephantiasi multùm differt: nam hujus Leprae signa characteristica, ut nobis a Divino Legato Mose tradita sunt pilorum album cutisque depressio: "And if the hair of the plague is "turned white, and the plague in sight be deep-"er than the skin of his flesh, it is a plague of "leprosy *." Signa diagnostica praecipua, igitur, inter hos duos morbos sunt insequentia. In illâ, color pilorum mutatur, et in album vertitur; in hâc, pili decidunt: in Leprâ Judaeicâ, cutis deprimitur et contrahitur; in Elephantiasi contrà, indurata, inspissataque elevatur.

A Lue Venereâ Elephantiasis in his quoque differt; quòd Syphilis tantùm post concubitum impurum oritur; morbus autem noster

---

* Leviticus, chap. xiii, v. 3.

nunquam; illa à partibus externis incipit, ad internas verò paulatim repit; haec à partibus internis ortum habet, et ad externas progreditur. Facies tuberibus non deformatur, aures non tument, ac labia neque crassantur neque invertuntur in illâ, ut in hâc. Bubo, qui interdum in Elephantiasi invenitur, ab eo Luis Venereae in hoc differt; quòd in Syphilide in cavitate inguinis situs est, durus immobilisque donec decrescere incipit, inflammatione subsidente: in Elephantiasi contrà, tumor nunquam valde durus est, sed semper plus minusve mobilis, sine dolore et integumentorum decoloratione; fere multò major est quàm bubo syphiliticus, atque inferiùs situs.

Nonnulli * hunc morbum cum Elephantiasi Arabum confuderunt; sed in hâc, pes solum afficitur. Lorry †, de hoc malo loquens, dicit: "Elephantiasis Arabum, secundum Avicennam, morbus est pedum varicosus, in quo omnes venae pedis praeter modum intumescunt, ita ut nulla supersit distinctio inter

* Towne, Brooks, Vogel, Parr, &c.

† Op. citat.

"suras et reliquas crurum partes. Idem eo-
"dem nomine intelligit AVENZOAR. Idem HA-
"LY ABBAS, caeterique omnes Arabes." Hinc haec ab illâ multùm differt.

De Elephantiasi hodiernorum, vel morbo *Anglice* dicto *Barbadoes Leg*, idem dici potest. Haec crus pedemque etiam tantùm afficit, et ab inflammatione glandularum lymphaticarum oriri invenitur. Sed satis de his, nam non multùm ad morbos tam absimilium symptomatum dignoscendos requiritur.

DE METHODO MEDENDI.

Hoc malum curationem accipere perfectam recusare, tam in statu incipiente quàm provectiore, omnesque medicae artis conatus eludere, prorsus censeo; quanquam quidam auctores *, et hi non parvi nominis, aliter putant: sed hi Lepram Graecorum vel Elephantiasim hodiernorum, potius quàm morbum nostrum descrip-

* HILLARY, HEBERDEN, &c.

serunt. Multa remedia, sed omnino adhuc futilia, in curatione usurpata fuerunt; quaedam eorum, reverà, morbum augere visa sunt. De his medicamentis quae maximè praevaluerunt, nunc pauca dicam.

Viperae Lacertaeque * in hujus morbi curatione magnas laudes recipiebant, earumque variae praeparationes in usu fuere; hae ab aliquibus recentiorum in pretio habitae, sed, nullâ virtute praeditae, hodie nihili aestimantur.

Hydrargyrus solus, vel cum Antimonio junctus, parvis in dosibus à paucis adhibitus fuit, sed frustra; nam quibusdam in casibus malum

* Vide quid de Viperis earumque praeparatione ARETAEUS dicit: "Quin etiam Viperarum reptilium ferarum "carnes et ipsae in pastillos conformatae bibuntur. Oportet autem et caput et caudam ad quatuor digitorum spatium praecidere, reliquum usque eo elixare, donec separentur. Carnes verò in pastillos redactas in umbrâ frigefacere, quemadmodum et squillae exhibeantur." (De Curat. Morb. Diuturn. Lib. ii, cap. 13). GALENUS, PAULUS ÆGINETA, AVICENNA, CONSTANTINUS AFRICANUS, ANDRAEAS PARAEUS, et caeteri, carni Viperarum in curatione Leprae maximam laudem attribuunt. DOLAEUS, in suâ Encyc. Chir. Rat. sic ait: "Curam viperinam, à veteribus laudatam, minimè spernendam esse; quin potius aliquid specifici habere videri." Multa alia hujusmodi exempla adderem, sed haec sufficiant.

ex eo ingravescere visum fuit. Systema corroborare, putrescentiaeque proclivitati obsistere, nonnulli eas Hydrargyri praeparationes quàm citissimè Oxygenium impertientes, ut Acetatem aut Oxydum Cinerei hujus metalli, exhibendas esse putaverunt. Successum autem harum in hoc morbo multùm dubito.

Antimonialia, quae in omnibus morbis cutaneis à medicis clarissimis eximia habentur, ita in Elephantiasi praecipuè laudata fuerunt. Haec omnibus aliis in hoc morbo formidoloso medicamentis HILLARY praefert, dummodo tempestivè adhibeantur.

Oxymurias Hydrargyri in solutione, Pilulaeque PLUMMERI fuerunt remedia in magnâ existimatione, et unà cum his aeger Decocti Sarsaparillae compositi, aut Daphnes Mezerei, libram indies bibere jussus est.

Tinctura Cantharidis Vesicatoriae a MEADIO commendatur, qui dicit: "I am convinced "from experience, that there is not a better "medicine known against this filthy disease, "than the Tincture of Cantharides of the London Dispensatory *."

* Medica Sacra, chap. 2.

Arsenicum * nuper in Asiâ ut remedium propositum fuit, et in curatione Elephantiasis cum magno bono, secundum AT'HAR ALI KHAN de DEHLI, usum fuit.

Praeter haec, multa alia remedia interna ab auctoribus commendata sunt, quae enumerare non necessarium est.

Alvus purgantibus, ad removendam obstipationem hunc morbum tam crebrò comitantem, saepe ducenda est; sed ne nimia debilitas ab his inducatur, cavendum est. Purgantia, quae in Elephantiasi maximi commodi mihi videntur, sunt insequentia: Omnes Sales Medii, Oleum Ricini, Convolvulus Jalapa, Pulvis Jalapae Compositus, Aloës atque Gambogia: sin autem haec alvum liberè non ducant, varia enemata et interdum etiam Oleum Terebinthinae prosint. Helleborus albus nigerque ab antiquis in curatione hujus mali multùm commendatus fuit. De hoc medicamento ARETAEUS † sese sic exprimit: "Praeterea per Veratrum purgationes "fiant: album quidem, superiorem ventrem

* Vide Append. N0. 2.

† Loc. cit.

" atrum verò inferiorem, purgat. Quin et album Veratrum non vomitum tantùm molitur, " sed etiam omnium simul purgantium medicamentorum efficacissimum est, non multitudine et varietate excrementorum: non distentionibus et violentiâ in vomendo, sed potentiâ " et qualitate non vitiosâ; quippe quae laborantibus sanitatem reddit per exiguam purgationem, et modicam intentionem."

Ad siccitatem cutis gravem levandam, motusque musculorum faciliores reddendos, balnea tepida, calida, atque sulphurosa à quibusdam laudata fuerunt.

Ad malos effectus puris ab ulceribus defluentis corrigendos, aeque ac ad sensum cutis unctuosae ingratum minuendum, multae applicationes, ut Solutio Saponacea, Aqua Calcis tepida, Cataplasmata emolliéntia, variaque emplastra, in usu fuere. Ulcera cum aliquo unguento absorbente semper curari oportet. Cum cutis tam tenera irritabilisque est, ut applicationibus etiam lenissimis multùm afficiatur, tunc potens Infusum Foliorum Digitalis Purpurei, cum par-

vâ proportione Liquoris Acetatis Plumbi diluti, gratissimum reperiatur *.

Nunc ad aegrotantium diaetam ventum est, cui maxima attentio adhiberi debet; nam de hâc solâ solatium in hoc morbo sperare licet. Aegros carnes praecipuè suillas, omnes carnium pisciumque salsorum species, resque oleosas atque adiposas evitare oportet. His diaeta vegetabilis, nutriens, facilisque concoctu commodissima est, et per reliquum vitae decursum continuanda. Praeterea temperatè vivere, et à vino, liquoribusque ardentibus omnino abstinere debent.

Denique, Elephantiaci corpus mundum servent; exercitationem modicam sumant; subitasque coeli mutationes evitent, oportet.

---

* Thomas, Modern Practice of Physic.

ELEPHANTIASIS.



Vide Append: No 7

APPENDIX.

No. I.

Historia casûs Elephantiasis qui, in Nosocomio Edinburgeno, per hiemem anni millesimi octingentesimi et decimi septimi erat. Caelatura, quae hanc dissertationem comitatur, a lineamento * ab aegro, dum in Nosocomio fuit, effecto, inciditur.

John Paterson, aet. 16.—The features are very much deformed, and the face is almost completely occupied by hard tuberculated elevations of the cuticle. Those deep seated are large and irregular, in some places covered with thin white furfuraceous scales, of a lighter colour than the natural skin, while the more su-

---

* Joanni Thomson, M. D., Chirurgiae Militaris Professori, &c. pro hoc lineamento maximas grates ago, majores etiam habeo.

perficial tubercles are of a still more dark com plexion, and exhibiting a number of small blood vessels ramifying on their surface. The alae o the nose are swelled, and the apex of it is occu pied by a dry dark-brown thick scab ; the lip are tumid and covered with scales ; the exter nal ears are considerably enlarged and thicken ed, and the right, more particularly, is bese with tubercles. The voice is hoarse and ob scure ; deglutition is painful and difficult ; and on examination, the tongue, roof of the mouth inside of the cheeks, and lips, velum, tonsil and uvula are perceived to be occupied with numerous small white tubercles, with consider able erysipelatous inflammation of the parts and slight ulceration of the velum near the roo of the uvula.

In the upper and anterior part of each thig there is a cluster of enlarged lymphatic gland forming a moveable rather soft prominent swell ing, more particularly in the left, without an discoloration of the integuments, or any pain The thighs retain their natural form, but the are everywhere covered with large irregula

discoloured scabby patches, of a brown or coppery colour, and numerous small flattened tubercles. The legs and feet are greatly enlarged, scabby and indurated, are also of a dusky coppery colour, occupied with tubercles similar to those upon the thighs, but more flattened and larger.

The superior extremities are affected in a manner similar to the thighs and legs, but the enlargement is chiefly confined to the wrists and hands, on which there are also a number of tubercles.

The parts of the skin thus discoloured and tuberculated are in a great measure devoid of sensibility; and piercing them with a sharp-pointed body, so as to cause a flow of blood, does not produce the slightest degree of pain; and at no period of the disease does it appear to have been attended with any uneasiness. He constantly experiences a sense of constriction across the chest, with pain under the short ribs of the left side, and palpitation of the heart on exertion, without cough. For three weeks past he has been subject to Gastrodynia, Cardialgia,

and acid eructations after taking food. The abdomen appears slightly tumid, but there is no distinct induration to be felt in any part of it.

P. 93, T. moist, appetite good, B. rather costive, urine reported to be high coloured, and depositing a copious lateritious sediment. The ancles and feet are more swelled towards evening.

NO. II.

Methodus *Arsenico* in Asiâ in Elephantiasis curatione utendi.

This is an ancient Hindoo medicine, and an old secret of the Hindoo physicians. The method of preparing it is as follows:

"Take of White Arsenic, fine and fresh, one
" *tola* (grs 105); of picked Black Pepper six
" times as much; let both be well beaten at
" intervals for four days successively in an iron
" mortar, and then reduced to an impalpable
" powder in one of stone, with a stone pestle;

"and thus completely levigated, a little water "being mixed with them. Make pills of them "as large as tares or small pulse, and keep them "in a dry shady place.

"One of these pills must be swallowed morn- "ing and evening, with some betel leaf, or in "countries where betel is not at hand, with cold "water. If the body be cleansed from foulness "and obstructions by gentle cathartics and "bleeding before the medicine is administered, "the remedy will be speedier."

No inconvenience has arisen from the use of this medicine in India.

Asiatic Researches, vol. ii.

FINIS.